

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 2: De veritate et falsitate et connexis vtrique vel alterutri

Commented [c1]: fol.30vb

De veritate et falsitate et mendacio: Rubrica i

In exodo capitulo 23. Non suscipies vocem mendacii. Mendacium fugies.

In leuitico capitulo 19. Non mentiemini: nec decipiet vnusquisque proximum suum.

Psalmistia 11. psalmo. Diminute sunt veritates a filiis hominum. 84. psalmo. Misericordia et veritas obuauerunt sibi. Ueritas de terra orta est: et iustitia de celo prospexit. 116. psalmo. Deus custodit veritatem in seculum.

Solomon in prouerbiis capitulo 13. Uerbum mendax iustus detestabitur. Impius autem confidit et confundetur. 16. capitulo. Qui recta loquitur dirigitur. 17. capitulo. Fallax obtemperat labiis mendacibus.

Aristoteles topicorum libro 4. caput 7. Per se mendacium prauum et fugiendum est: verum autem et bonum est laudabile. Idem ethice libro i. caput 2. Uidebitur vtrique melius esse forsitan et oportere pro salute veritatis et familiaria destruere: aliterque et philisophos existentes: ambobus enim existentibus amicis sanctum est prehonore veritatem. Libro 4. caput 8. Per se mendacium prauum et fugiendum est: verum autem bonum et laudabile est.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 28. scilicet de aristotele: Aristoteles interrogatus quid fenoris acquirant mendaces. Inquit: Ut quotiens vera loquuntur non credantur eis.

Commented [CN2]:
fol.31ra

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Non contradicas verbo veritatis vlllo modo. 20. capitulo. Potior fur est quam assiduitas viri mendacis: prodicionem autem ambo hereditabunt. 23. capitulo. Uir multum iurans: replebitur iniquitate. 25. capitulo. Tres species odiuit anima mea: Pauperem superbum: diuitem mendacem: et senem fatuum et insensatum.

Philon in libro sapientie capitulo i. Os cuius qui mentitur occidit animam.

Terentius in andria capitulo 3. Hoc tempore obsequium amicos: veritas odium parit.

Tullius rethoricorum artis veteris: libro 2. capitulo 9. Ueritas est virtus: per quam immutata ea que sunt aut fuerit: aut futura sunt dicuntur.

Quintilianus declamationum 2. declamatione. Uiro forti presertim et innocenti nihil facere conuenit quod negandum sit. 10. declamatione. Magis oderis mendacium cum simile vero est. 16. declamatione. Nuncio vobis nihil a morientibus fugi: nihil vita laborante simplicius.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 3. Nolite gloriari et mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena animalis et diabolica.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 3. Est autem deus verax: omnis autem homo mendax. Idem epistola ad colossenses capitulo 3. et penultimo. Nolite mentiri inuicem.

Seneca tragediarum in edipo capitulo 10. Quid verba queris: veritas odit moras. Idem epistolarum ad lucillum libro 5. epistola 11. et finali. Que veritati operam dat oratio incomposita debet esse et simplex. Libro 6. epistola 6. Apta decent et simplicia veritatem. 7. epistola et finali. Ueritas simplex oratio est. Libro 13. epistola 4. Ueritas in omnem partem sui eadem est: qui decipiunt nihil habent solidi: tenue est mendacium: perlucet si diligenter inspexeris. Idem declamationum libro i. in prohemio: Semper circa veritatem est similitudo.

Lex codicum titulo si vt se ab hereditate abstineant l. i. Fides veritatis verborum adminicula non desiderat. Lex autentica titulo de fide instrumentorum in principio. Nihil aliud est falsitas quam immutatio veritatis.

Commented [CN3]: fol.31rb

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Rumor falsidicus surgit: et ecce cadit.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non recedas a vero. Capitulo 5. Nihil tibi intersit an affirmes an iures: de religione ac fide agi scias vbicunq; de veritate tractatur. Si aliquando coarcteris vt mendacio: vttere non ad falsi: sed ad veri custodiam. Si contigerit fidelitatem mendacio redimi: non mentieris: sed potius excusabis.

Cecilius de beata vita libro 2. Ueritas a vulgi solet variis sermonibus dissipata corrumpi.

Augustinus in epigrammata prosperi emp. 65. Difficilia et laboriosa sunt figmenta mendacii: que autem vult verum dicere non laborat.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exactior liberii. Nimium altercando veritas amittitur.

Fulgentius libro 3. et finali Fab. 21. et finali. Lucida veritas omnium malorum morum falsitate circumdata pollui aliqua commixtione non nouit.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 3. Pessima consuetudo est despiciere veritatem. Libro 4. epistola 3. Theodorus rex gotorum cuidam illustri viro dixit: Non te terruit contentionibus inflammata regalis auctoritas: subiugasti quinimmo audaciam veritati. Libro 9. epistola 24. Quelibet malitia formidat contra manifesta bona aliquid profiteri: dum generalibus odiis veretur exponi. Idem de amicitia epistola 24. Plerumque molesta est veritas.

Gregorius in pastorali capitulo 36. Impuri dum deprehendi metuunt semper improbas defensiones querunt: semper pauidis suspicionibus agitantur: nihil autem est ad defendendum puritate tutius: nihil ad dicendum veritate facilius.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. capitulo 34. Omne mendacium peccatum est. Neminem mentiendo fallas. Non aliud loqueris: et aliud animo teneas. Non aliud dicas et aliud facias.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 3. Crede quod interdum multis mendacia prosunt. / Et quandoque nocet omnia vera loqui.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Esto veridicus: falsum quandoque loquaris. Nam semper verum dicere: credo nephas.

Commented [CN4]: fol.31va

Bernardus libro de improbatione vitiorum: capitulo i. Nil docto mendace potest truculentius esse.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nup. capitulo 37. Est labor in labiis mendacia composituris: vera locuturis non labor vllus inest.

Montenarius in luna cleri capitulo 100. Multa fidem paucis: adimunt mendacia veris.

Prouerbum vulgare. Essa zonze piu tosto el boxrao calzoto. Lomo veio el forestero podir buxia e po dir vero. Longa via: longa boxia.

De fide seu fidelitate et infidelitate seu perfidia: Rubrica 2

Salomon in prouerbiis capitulo 13. Legatus fidelis sanitas. Capitulo 20. Uirum fidelem quis inueniet? Capitulo 28. Uir fidelis multum laudabitur.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 25. et finali. Degerare: iniustum facere est.

Salustius iugurtino: Expertus sum parum fidei miseris esse.

Oratius in epistolis libro 2. epistola 2. Multa fidem promissa leuant.

Tullius de officiis: libro i. capitulo 10. Fundamentum iustitie est fides. id est dictorum conuentorumque constantia et veritas. 13. Nec promissa seruanda sunt eaque sunt: his quibus promiseris inutilia: nec si plus tibi ei noceant quam illi prosint cui quid promiseris. Libro 2. capitulo 39. Nulla res vehementius rem publicam continet quam fides. Libro 3. capitulo 22. Quod ita iuratum est vt mens conciperet id fieri oportere: id seruandum est: quod aliter: id si non fecerit: nullum periurium est. Idem de amicitia. In vita tyrannorum nulla fides. Idem rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. Animus sine fide stabilis amicis esse non potest. Qui sepe numero nos fefellerunt per fidem: eorum orationi fidem habere non debemus.

Ouidius de arte amandi libro i. Reddite depositum: pietas sua federa seruet. Idem de fastis libro 3. Tardauerit dictis difficilisque fides. Idem de punto libro 4. et finali epistola 10. Quis labor est puram non temerare fidem.

Commented [CN5]: fol.31vb

Seneca tragediarum in agamenone capitulo 4. Precio parata vincitur precio fides. Idem de moribus: Priusquam promittas deliberes: et cum promiseris facies. Idem in prouerbiis. Etiam peccato recte prestatur fides.

Lucanus libro i. Nulla fides regni sociis: omnisque potestas / Impatiens consortis erit. Libro 10. et finali. Nulla fides pietasque iuris qui castra sequuntur. Uenalesque manus: ibi fas vbi maxima merces.

Iuuenalis libro i. satira 3. Quantum quisque sua nummorum seruat in archa. Tantum habet et fidei.

Lex digestorum titulo de pactis l. i. in principio. Quid tam congruum est fidei humane quam ea que inter eos placuerunt seruare. Titulo de constituta pecunia l. i. in principio. Graue est fidem fallere. Titulo mandati l. si fideiussor. §. quendam: Bone fidei non congruit de appicibus iuris disputare. Titulo locato et conducto l. cum vendere: Bona fides exigit: vt id quod conuenit fiat. Lex codicis titulo de non numerata pecunia l. generaliter. Nimis indignum iudicamus vt quod quisque sua voce dilucide protestatus est: id in eundem casum infirmare testimonioque proprio resistere.

Martialis cocus libri vndique suscepto capitulo 2. Sponsio res vacua: sponsor versatilis auri. Noli spondenti fidem dare nimis. Capitulo 3. Magna quidem dare: sed promittere parua decorum est: Te facere contra gloria nulla tibi. Capitulo 3. Inscrutabilis est malefidei mentis abyssus.

Uegecius de re militari libro 3. titulo 9. Aduersis rebus rarior fides est: vbi nudari incipit qui copiosus aduenit.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Cum consideratione promitte: plenius quam promiseris presta. 5. capitulo. Nihil tibi intersit an affirmes an iures: de religione ac fide agi scias vbicunque de veritate tractatur. Si contigerit fidelitatem mendacio redimi: non mentieris sed potus excusabis.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 28. Liqueat etiam in bello fidem et iustitiam obseruari oportere. Fundamentum iustitie est fides. Libro 2. capitulo 6. Auaritia perfidie vicina est. Libro 3. et finali capitulo 12. Unusquisque nihil promittat inhonestum. at si promiserit tolerabilius est promissum non facere: quam facere quod turbe sit.

Commented [CN6]: fol.32ra

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 34. Leuissimi animi mos est polliceri facile que non disponit implere. Idem de amicitia capitulo i. Uix aliquis in aliquo integritatem fidei experitur. 16. capitulo. Fides in necessitate probatur.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. capitulo 35. Fac bonum quod spondisti: non sis in verbis facilis. 36. capitulo. In malis promissis rescinde fidem. Impia est promissio que scelem adimpletur.

Cato capitulo i. Datum serua. Iusiurandum serua. Capitulo 2. Rem tibi promissam: certam promittere noli. Rara fides: ideo quia multi multa loquuntur.

Uersificator fabularum esopi 31. fabula. Expedit infido non interare fidem. Que dedit infidus mella venena puto.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 40. Est mens nostra suis contraria sepe loquelis. / Nec factis sequimur omnia que loquimur.

Mattheus vindocinensis in poetria parte i. capitulo 6. Iactura fidei notat inconstantia mentis. Palpitat in vario pectore rara fides.

Iacobus beneuentanus capitulo 19. Siquid promissum fuerit tibi suscipe raptum. Mens apposito: nam resilire potest. Capitulo 20. Qui spondet multa soluere pauca solent. / Quod dare volueris:

nulli spondebis amico / Dedecet hic euentos: precipueque bonos. / Cum spondes aliquid manus ilico verba sequatur. / Auget enim meritum: qui cito soluit idem.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 4. Dum dolet infirmus promittit premia multa. Cessat promissum cum dolor ipse cadit.

Ricardus iudex venusinus libro de pertracta nup. capitula 37. Quis bonus absque fide: / Est homo vas vacuum deficiente fide: / Uirtutes alius frustra conaris habere. / Si virtus fidei deficit ipsa tibi.

De proditione exprobranda: Rubrica 3

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Ne moliaris amico tuo malum: cum ille in te habeat fiduciam.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 25. Non des mulieri: nequam venam prodeundi.

Commented [CN7]: fol.32rb

Ualerius maximus libro 6. titulo de iustitia. Timocrates abriensis fabricio consuli pollicitus est se pyrhum veneno per filium suum qui potionibus eius preerat vacaturum. Ea res cum ad senatum esset delata: missis delegatis pyrhum monuit: vt aduersus huiusmodi generis insidias cautius se gereret: memor vrbem a filio martis conditam: armis bella non venenis gerere debere. Timocratis autem nomen suppressit: vtroque modo equitatem amplexus: quia nec hostem malo exemplo tollere: neque eum quia bene mereri paratus fuerat prodere voluit. Crassus carbonis nomen infesto animo vtpote inimicissimum sibi detulerat: sed tamen scrinium eius a seruo carbonis allatum ad se et plura continens quibus facile opprimi posset: vt erat signatum cum seruo cathenato ad eum remisit. Libro 9. titulo de perfidia: Filiam virginem spurii tarpeii: qui arci preerat: romulo regnante aquam sacris petitem extra menia egressam tacijs vt armatos sabinos in arcem secutum reciperet corrupit mercedis nomine pactam que in sinistris manibus gerebant: erant autem his armille et anuli magno ex pondere auri loco potitum agmen sabinorum puellam premium flagitantem armis obrutam necauit: perinde quasi permissum quod ea quoque leuis gestauerat soluit. Absit reprehensio: quia impia proditio celeri pena vindicata est.

Ambrosius de officiis libro 3. et finali capitulo 16. et finali. Inimicus vitari potest: amicus non potest si insidiari velit.

Iacobus beneuentanus capitulo 9. Hoc ego te moneo fugias vt proditionem. / Turpius hoc omni crimine crimen adest: / Proditor et nullus tibi coniungatur amore / Spe sub amicicia: mors inimica datur.

Auctor libelli qui incipit astrolabi: Proditor alterius: non tibi fidus erit. / Obsequio superant: meretrix et proditor omnes.

Frontinus libro 4. titulo 4. Canullo faliscos obsidenti: ludi magister liberos faliscorum tanquam ambulandi causa extra murum eductos tradidit dicens: repetendis obsidibus necessario ciuitatem imperata facturam. Canullus non solum spreuit perfidiam: sed etiam restrictis post terga manus magistrum virgis agendum ad parentes tradidit: puris adeptus beneficiis victoriam quam fraude non concupierat. Nam falisci ob hanc iustitiam sponte ei se dederunt. Ad fabricium ducem

Commented [CN8]: fol.32va

romanorum medicus pirri epirotarum regis peruenit pollicitusque est daturum se venenum pirro si merces sibi in qua opere precium esset constitueretur: quo facinore fabricius agere victoriam suam non arbitratus: regi medicum detexit: atque ea fide meruit vt ad petendam amicitiam romanorum compelleret pirrum.

De adulatione blandimento et assentione: Rubrica 4

Salomon in prouerbiis capitulo i. Si te lactauerint peccatores: ne quiescas eis. Capitulo 27. Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudientis oscula.

Isocrates in exhortationibus. Odi blandientes tanquam decipientes: nam vtrique commissarii facti iniuriantur commissis.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 20. Adulationem recipere et adulatorem delectabile est: apprensus enim admirator est. Apprensus amicus adulator est. Libro 2. capitulo 9. Laudare presentem: adulationis est. Idem ethicorum libro 4. capitulo 4. Omnes blanditores obsequiosi seruiles et humiles sunt. Libro 8. capitulo 5. Amatores adulationis multi sunt. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 51. Adulator est plus decentibus et existentibus adiiciens.

Terentius i. comedia scilicet in andria capitulo 3. Hoc tempore obsequium amicos veritas odium parit.

Tullius rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 6. Habet assentatio iocunda principia: eadem exitus amarissimos affert.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 8. Impia sub dulci melle venena latent.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 6. epistola 3. Adulatio que similis est amicitie non imitatur tantum illam: sed vincit et preterit: apertis ac propitiis auribus recipitur: ac in precordia ima descendit: eo ipso gratiosa quo ledit. Idem in prouerbiis. Habet suum venenum blanda oratio.

Commented [CN9]: fol,32vb

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Adulatores deuita. Difficillimum continentie opus est assentationes adulantium repellere quorum sermones animum quadam voluptate resoluunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis: nec hanc promerendi a te aditum aliis pandas. Non acerba sed blanda verba timebis. Cunctis esto benignus: nemini blandus.

Cato capitulo 2. Noli homines blandos: nimium sermone probare. Fistula dulce canit volucrem: dum decipit auceps. Capitulo 8. Sermones blandos blesosque vitare memento. Simplicitas veri fama est: fraus ficta loquendi.

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali epistola 10. Grauius percutit: qui blandiendo crassatur. Idem de anima capitulo 16. et antepenultimo. Hostis dulcis amicus amarus est.

Uersificator fabularum esopi 64. fabula et finali. Blanditie plusquam dira venena nocent.

Montenarius in luna cleri capitulo 128. et penultimo. Sugit adulator lac pectoris ad vber.

Prouerbum vulgare: Losenge de enemigo e como passare a panigo.

De simulatione et dissimulatione: Rubrica 5

Iob hystoria capitulo 36. Simulatores et calidi prouocant iram dei.

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Simulator ore decipit amicum suum. Capitulo 12. Qui dissimulat iniuriam callidissimus est.

Regum libro 3. capitulo 3. Due mulieres venerunt ad salomonem: quarum vna dixit: ego et mulier hoc habitabamus in domo vna: et peperit apud eam: peperit postea et hec. Mortuus est autem filius huius nocte dormientis: quia oppressit eum: et consurgens nocte: tulit filium meum de latere mei dormientis: et collocauit in sinu suo: suum autem filium qui erat mortuus: posuit in sinu meo: quem mane intuens **deprehendi** non esse meum. Respondit altera mulier: Non est ita: sed filius tuus mortuus est: meus autem viuuit. Dixit salomon: Afferte mihi gladium: et oblato ei gladio: ait: Diuidite infantem viuuum in duas partes: et date dimidiam partem vni: et dimidiam alteri. Tunc commota sunt viscera eius mulieris cuius filius erat viuus: et dixit ad salomonem. Obsecro domine: date illi infantem viuuum: et nolite interficere eum. et econtrario illa dicebat: nec mihi nec tibi: sed diuidatur. Respondit salomon et ait: Date huic infantem viuuum et non occidatur: hec est enim mater eius.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Est qui nequitur humiliat se: et interiora eius plena sunt dolo.

Salustius in catilinario: Quidam nomine l. tarquinius ad senatum adductus erat: quem ad catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant: is cum diceret se iudicaturum de coniuratione catiline si fides publica data sibi esset: iussus a consule quesieret dicere de paratis incendiis de cede bonorum de itinere hostium senatum docet: preterea se missum a marco crasso qui catiline nunciaret: ne eum lentulus et cetegus: aliique ex coniuratione deprehensi terrerent: eoque magis properaret ad urbem accedem: quo et ceterorum animos reficeret: et illi facilius ex periculo eriperentur. sed vbi tarquinius crassum nominauit hominem nobilem maximis diuitiis summa potentia: alii rem incredibilem rati esse: pars tam etsi verum existimabat: tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur: plerique crasso ex negociis preuatis obnoxii clamabant omnes falsum iudicem esse: deque ea re postulant vti referatur: itaque consulente cicerone: frequens senatus decreuit tarquini iudicium falsum esse: eumque in vinculis retinendum: neque amplius potestatem faciendi nisi de eo iudicaret: cuius consilio tantam rem esset mentitus.

Tullius de officiis: libro 2. capitulo 17. Ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt: nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.

Ouidius de arte amandi libro i. Sepe tamen vere cepit simulator amare. Sepe quod incipiens **finxerat** esse: fuit.

Seneca declamatione seu ciuilis causarum libro i. in prohemio: Utilissima est dissimulata subtilitas que effectum apparet: habitu latet. Idem in prouerbiis. Malus bonum vbi se simulat tunc est pessimus.

Commented [CN10]: fol.33ra

Commented [CN11]: fol.33rb

Frontinus libro i. titulo 9. Gneus pompeius trucidato ab exercitu mediolani senatu ne tumultum moueret si solos euocasset nocentes mixtis eis qui extra delictum erant venire iussit: ita et noxii minori animi metu: quia non segregati: ideoque non ex causa culpe videbantur accersiti comparuerunt: et illi quibus integra erat conscientia custodiendis quoque nocentibus attenderunt ne illorum fuga inquinarentur.

Uegecius de re militari libro 3. titulo 3. Frequentius conuentionum pacisque simulatio credulis nocuere quam arma.

Ualerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut facta: Tusculanis acumine consilii incolumitas parata est. Cum enim crebris rebellionibus metuissent: vt eorum urbem funditus romani euertere vellent: atque ad id exequendum furius camillus maximus dux validissimo instructus exercitu venisset: vniuersi ei togatim obuiam processerunt comeatusque et cetera pacis munia benignissime prestiterunt: armatum etiam intrare menia passi sunt: nec vultu nec habitu mutato. Qua constantia tranquillitatis non solum ad amicitie romanorum ius: sed etiam ad communionem romane ciuitatis vsque penetrarunt: sagaci ercle vsu simplicitate quoniam aptius intellexerunt metum offensio dissimulare quam armis protegere.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Non tibi affingas quod non es: nec quod es magis quam es velis videri.

Cato capitulo 2. Qui simulat verbis nec corde est fidus amicus. Tu quoque fac simile: sic ars deluditur arte. Capitulo 3. Inspiens esto cum tempus postulat aut res. Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 34. Prebe affectum sine simulatione. Sine fuco exhibe bonitatem.

Cassiodorus de amicitia capitulo 24. Simulatio siquidem et assentatio due virulentissime pestes sunt que procul semper ab amicitia relegentur.

Commented [CN12]: fol.33va

Uersificator fabule esopi fabula 64. et finali. Pacis amatorem simulat se perfidus hostis. / Cautius vt vulnus excidiale ferat.

De apparentia existentia et hypocrisi: Rubrica 6

Iob historia capitulo 8. Spes hypocrite peribit. Capitulo 10. Gaudium hypocrite ad instar puncti. Capitulo 34. Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

Aristoteles elencorum libro i. Quibusdam est magis opere precium videri esse sapientes quam esse et non videri. Sophistica est apparens sapientia: non autem existens.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo i. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum. Capitulo 37. Qui sophisticè loquitur odibilis est.

Oratius in poetria: Ut pictura pocsis erit que si propius stes: Te capiat magis: quedam si longius abstes. Hec amat obscurum: volet hec sub luce videri. Iudicis argumentum que non formidat acumen. Hec placuit semel: hec decies repetita placebit.

Ouidius de tristibus libro 5. capitulo 15. Tu tamen vt possis: false quoque pellere culpe. / Crimina quod non es: ne videre caue.

Mattheus in euangelio capitulo 6. Cum oratis non eritis sicut hypocrite: qui in synagogis et in angulis platearum stantes orare vt videantur ab hominibus. Intra cubiculum tuum et clauso ostio tuo ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocrite tristes: exterminant enim facies suas: vt appareant hominibus ieiunantes. Capitulo 7. Cauete alias attendite a falsis prophetis: qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos.

Seneca in prouerbiis. Frons nostra populo conueniat.

Valerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut **facta**. Socrates expedita et compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat qui id agerent vt quales videri vellent: tales etiam essent.

Commented [CN13]: fol.33vb

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Dignitatem rebus non opinione multorum sed ex earum natura constituas. Sunt que non videntur bona esse et sunt: et que videntur et non sunt. Non omne quod verisimile est: statim et verum est. Sicut etiam sepius quod primum incredibile videtur: non continuo falsum est. Crebro siquidem faciem mendacii veritas tenet: et crebro mendacium specie veritatis occultatur.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 19. Quales haberi volumus: tales simus.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. capitulo 29. Esse magis bonus quam videri stude. Qualis haberi vis: talis esto.

Heinricus samariensis libro i. parte 2. Quam grauis hoc labor et quam magna industria mentis: / Noscere veraci cognitione bonos. / Sepe bonos mendax mentitur opinio prauos. / Atque econuerso prouehit ipsa malos. / Omnisque niueo volucris plumescit amictu. / Non est si simulet vera columba: tamen / Sepe sub agnina latet hircus pelle licaon. / Subque cautione pie perfidus ille nero. / Multa fides igitur falsis circumdata fictis. / Que se longe aliter quam videatur habent.

Prouerbiu metrico extraordinem librorum vagantia. Ut tibi credatur fratres iselgrine cucullam. / Sed licet ante parum nunc tibi credo minus. / Fallere prudentes: pellis ouina nequit.

De versutia dolo malo seu malitia fraude et deceptione: Rubrica 7

In leuitico capitulo 9. No mentiemini: nec decipiet vnusquisque proximum suum.

Moyse in deuteronomio capitulo 25. Non habebis in sacco diuersa pondera maius et minus: nec erit in domo tua modius maior aut minor. Pondus habebis iustum et verum et modius equalis et verus erit tibi.

Psalmista 5. psalmo. Uirum sanguinum et dolosum abominabitur dominus. 9. psalmo. Cuius **maledictione** os plenum est et amaritudine et dolo: sub lingua eius labor et dolor.

Commented [CN14]: fol.34ra

Solomon in prouerbiis capitulo 11. Statera dolosa abominatio est apud deum: et pondus equum voluntas eius. Abominabile est domino cor prauum: et voluntas eius in his qui simpliciter ambulant. 12. capitulo. Homo inueniet fraudulentus lucrum. 14. capitulo. Uir versutus odiosus est. 17. capitulo. Fallax obtemperat labiis mendacibus.

Isaias propheta capitulo 32. Fraudulenti vasa pessima sunt.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Est qui nequiter humiliat se: et interiora eius plena sunt dolo.

Oratius in poetria: Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

Tullius de officiis capitulo 18. Totius iniustitie nulla capitalior est quam eorum qui cum maxime fallunt: id agunt vt viri boni esse videantur. Idem rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. Primo quidem decipi incommodum est: iterum stultum: tertio turpe. Idem de natura deorum libro 3. et finali. Uersutos eos appello quorum celeriter mens versatur: calidos autem quorum tanquam manus opere sic animus vsu concaluit. Malitia est versuta et fallax ratio nocendi.

Oratius epistolarum 2. epistola. Fallere credentem non est operosa puellam Gloria. Epistola 12. Ultimus est aliqua decipere arte labor. Epistola 16. Tarda solet rebus magnis inesse fides. Idem de arte amandi libro i. Parua leues capiunt animos. / Fallentes ex magna parte prophanum / Sunt genus: in laqueos quos posuere cadunt. / Non enim lex equior vlla est: / Quam necis artifices arte perire sua. Libro 3. et finali. Iudice me fraus est concessa repellere fraude. Armaque in armatos sumere inra finunt. Idem de fastis libro. 2. Fraude perit virtus.

Mattheus in euangelio capitulo 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit: totum corpus tuum tenebrosus erit. Capitulo 7. **Attendite** a falsis prophetis: qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus aut sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos.

Commented [CN15]: fol.34rb

Marcus in euangelio capitulo 10. Ne fraudem feceris.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 13. epistola 6. Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit. Libro 14. epistola 3. et penultima. Quod loquimur sentiamus: concordet sermo cum vita. Idem declamationum seu ciuiliu causarum libro 6. causa 3. Circumscriptio semper crimen in specie legis inuoluit.

Lex digestorum titulo de dolo l. i. §. 2. Labeo diffiniuit dolum malum esse omnem calliditatem fallationem: machinationem ad circumueniendum fallendum: decipiendum alterum adhibita. Titulo pro socio l. verum. §. hoc quoque facere: Non est equum dolum suum quemquam reuelare. Titulo de leg. 2. l. cum pater. §. antepenultimo. Non videtur dolo facere: qui fraudem excludit. Titulo de regulis iuris l. infrascripta: Nemo videtur defraudare eos qui sciunt et consentiunt.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Inscrutabilis est malefidei mentis abyssus.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Prudens falli non potest: nec fallere vult.

Prosper sub 65. emp. Fallaces semper curis torquentur amaris. Et mala mens nunquam gaudia pacis habet.

Cassiodorus epistolarum libro 9. epistola 24. Quelibet malitia formidat contra manifesta bona aliquid profiteri: dum generalibus odiis veretur exponi.

Gregorius in pastoralis capitulo 36. Impuri dum reprehendi metuunt semper improbas defensiones querunt: semper pauidis suspicionibus agitantur. Nihil autem est ad defendendum puritate tutius. Nihil ad dicendum veritate facilius.

Uersificator fabularum esopi fabula 3. Omne genus pestis superat mens dissona verbis. Uersutias animi florida lingua polit. Fabula 20. Qui nimis est tutus: rhetia iure subit. Fabula 24. Cum tibi quid detur: cur detur respice. Fabula 32. Me decuit fraudem pellere fraude pari. Fabula 39. Sordibus imbuti: nequeunt dimittem sordes. Fallere qui didicit fallere sperauit. Fabula 46. Fine malo claudi: mala vita meretur iniquus: Quo capit insontes: se dolet arte capi.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 27. Nam dolus insidias tendit vbique suas.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 7. Fraude est etenim callidus omnis homo. / Fallere fallentes: in nulla lege vetatur. / Condecet vt fallax: corrumpat arte sua.

Gaufridus in poetria capitulo 19. Lex est equa dolum referre dolore dolum. In caput vnde fuit egressus habere regressum.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Fallere prudentes pellis omnia nequit.

Bellinus in speculo vite: parte i. extra. 9. et penultima. Fallere fallentem de ratione potes.

Prouerbiu vulgare: Le bone parole e reifati enganna insauui e immatti.

De simplicitate seu prauitate et multiplicitate animi: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 2. Proteget dominus gradientes simpliciter. Simples permanebunt in terra. Capitulo 10. Qui ambulat simpliciter: ambulat confidenter. Capitulo 11. Simplicitas iustorum dirigit eos. Iustitia simplicis: dirigit viam eius. Abominabile est domino cor prauum: et voluntas eius in his qui simpliciter ambulant. Capitulo 22. Qui diligit cordis mundiciam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. Capitulo 28. Qui ambulat simpliciter: saluus erit.

Paralipomenon libro i. capitulo finali. Ait dauid: Scio deus meus quod probes corda: et simplicitatem diligas.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. Uhe duplici corde. 3. capitulo. Cor ingrediens duas vias non habebit succensus. Capitulo 5. Non ventiles te in omnem ventum: et non eas in omni via: sic enim peccator probatur in duplici lingua. Denotatio pessima est super bilinguem.

Commented [CN16]: fol.34va

Ouidius epistolarum epistola 2. Simplicitas digna fauore fuit. Idem de sine titulo seu amorum libro 3. et finali capitulo 8. Contra te solers hominum natura fuisti. Et nimium damnis ingeniosa tuis.

Quintilianus declamationum 17. et finali declamatione. Bone et conscientie simplicitas incauta est.

Mattheus in euangelio capitulo 10. Estote prudentes sicut serpentes: et simplices sicut columbe.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo i. Uir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.

Seneca epistolarum libro 14. epistola 3. et penultima. Quod loquimur sentiamus concordet sermo cum vita.

Gregorius in pastoralis capitulo 36. Nihil ad defendendum puritate tutius.

Uersificator fabularum esopi 4. fabula. Sepe dolet pietas criminis arte capi. Fabula 39.

Simplicitas veri laus est. Fabula 62. Qui sine vi sine fraude manent hi fraude necantur. / Nullo damnantur crimine sepe boni.

Cato capitulo 8. Simplicitas veri fama est: fraus ficta loquendi.

Gualterius de castellione libro 7. Prosit / Simplicitas iusto: noceatque nocentia sonti.

De obliquis actionibus: Rubrica 9

Ioannes in euangelio capitulo 10. Qui non intrat per ostium in ouile ouium: sed ascendet aliunde: ille fur est et latro.

De confidentia credulitate credulis atque incredulis: Rubrica 10

Isocrates in exortationibus: capitulo 2. Expedire putes non esse credem dum temerariis prout credendum probis.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 2. Modestis credimus magis et scelerius. Libro 2. capitulo 16. Iuuenes sunt faciles creditiui: propterea quod nondum in multis decepti sunt. Iuuenes facile seducibiles sunt: sperant enim facile. Senes increduli sunt: propter experientiam.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 12. Non credas inimico tuo in eternum. Capitulo 19. Qui credit cito leuis est corde: et minorabitur. Non omni verbo credas.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. Summa amentia est in eorum fide spem habere quorum perfidia deceptus sis multotiens. Libro 2. capitulo 9. Fidentia est per quam magnis et honestis rebus: multum ipse animus in se fiducia certa cum spe collocauit.

Ouidius epistolarum epistola 16. Credulitas damno solet esse puellis. Idem de arte amandi libro 3. et finali. Nec ciro credideris: quantum cito credere ledat. Exemplum nobis non leue procrus

Commented [CN17]: fol.34vb

Commented [CN18]: fol.35ra

erit. Idem de tristibus libro 4. epistola 3. Crede quod est et vis: ac desine tuta vereri. / Deque fide certa: sit tibi certa fides.

Seneca declamationum libro 5. capitulo i. Nemo facile credit: quo credito sit dolendum. Idem in prouerbiis. Utrumque vitium est: et omnibus credere et nulli.

Ioannes apostolus et euangelista in epistola vnica capitulo 4. Nolite credere omni spiritui: sed probate spiritus si ex deo sunt.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 5. Omnibus et nulli te credere vitium est.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 3. Frequentius conuentionum pacisque simulatio credulis nocuere quam arma.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Rumoribus criminum et suspitionibus minime sis credulus: sed potius malignis qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus subrepunt oppositi simus.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 31. Unusquisque bene volentis se magis quam sapientis credit consilio. Libro 2. capitulo 8. Promptius nos iusto viro quam prudenti committimus.

Fulgentius libro 3. et finali fabula 15. Credulitas semper deceptionum mater est.

Cato capitulo i. Nil temere credideris. Capitulo 3. Noli tu quedam referenti credere semper. Exigua est tribuenda fides: quia multi multa loquuntur.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 4. Illi credere debetis quem vestris vtilitatibus arridere cognoscitis.

Uersificator fabularum esopi fabula 9. Non satis est tutum mellitis credere verbis. Ex hoc melle: solet pestis amara sequi. **Fabula 25.** Tempore non omni: non omnibus omnia credas. Qui misere credit: creditur esse miser. Fabula 31. Qui me lesit: idem ledet si ledere posset. Expedit infido: non iterare fidem. Que dedit infidus mella venena puto.

Ualdo fabula 11. Nec confidatis secreta nec his detegatis. Cum quibus egistis: pugne discrimina tristis. Fabula 26. Nulla fidis hosti tibi sit. / Prorsus et hostilis: tibi sit suasio vilis.

Mattheus vindocinensis in poetria: parte i. capitulo 20. Credulitas festina nocet.

Prouerbiu vulgare: Et passu non cre al zuno / Tuto creere noe saure.

De suspitione et suspitiosis. Rubrica. 11

Psalmista psalmo 111. Ab auditione mala non timebit iustus.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 16. Senes kakokes sunt: kakokeia in deterius existimare omnia. Senes male suspitiosi sunt: propter incredulitatem.

Commented [CN19]: fol.35vb

Terentius in adelphis capitulo 14. Omnes quibus res sunt minus secunde magis sunt nescio quomodo suspitiosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Quintilianus declamatione 10. Semper apud sollicitos in deterius prona prosuasio est.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola 3. Quidam fallere docuerunt dum timent falli. Idem de moribus. Hoc habet omnis affectus: vt in quo insanit: in idem putet ceteros furere.

Ualerius maximus libro 9. titulo quam exquisita custodia etc. Masinisa numidie rex parum fidei in pectoribus hominum reponens salutem suam custodia canum vallauit. Quo tam late patens imperium: quo tantum liberorum numerus: quo denique tam arta beniuolentia constricta romana amicitia. Si ad hoc tuenda nihil canino latratu ac morsu valentius duxit. Dionysius syracusanorum tyrannus duo de quadraginta annorum dominationem in hunc mundum peregit: summotis amicis icorum locum ferocissimarum gentium homines et a familiis locupletum electos preualidos seruos: quibus latera sua committeret sustinuit. Tonsorium quoque metu tondere filias suas docuit. Quarum ipsarum postquam adulte etati appropinquabant manibus ferrum non ausus committere instituit vt candentem in gladium nuncupatam manibus barbam sibi et capillum adurerent. Nec securiorem maritum egit quam parem. Duarum enim eodem tempore aristomadis siracusane et locrensis doridis matrimoniis alligatus fuit: neutriusque vnquam nisi excusse completum petiit. Atque etiam in cubicularem locum perinde quasi castra lata fossa cinxit: in quem se ligneo ponte recipiebat cum forem cubiculi extrinsecus a custodibus operatam interiore claustro ipse diligenter obserrasset.

Commented [CN20]: fol.35va

Cato capitulo 2. Ne cures siquis tacito sermone loquatur: / Consciis ipse sibi de se putat omnia dici. Capitulo 5. et finali. Quod tibi suspectum est: confestim discute quid fit / Namque solent primo: que sunt neglecta nocere. / Suspectus caueas: ne sis miser omnibus horis. / Nam timidus et suspectis: aptissima mors est.

Cassiodorus epistolarum libro 11. epistola 10. Mens humana facile suspicatur: de quolibet illa que pertulit. Idem de amicitia epistola 15. Suspitiosum semper curiositas inquietat.

Gregorius in pastorali capitulo 36. Impuri dum deprehendi timent: semper pauidis suspicionibus agitantur.

Uersificator fabule esopi 20. fabula. Qui nimis est tutus retia iure subit.

Auctor libri qui incipit: astrolabi: De que culpasti mulierem cogis amare. / Et verum falso crimine sepe struis.

De clandestinatione et patulitate: Rubrica 12

In leuitico capitulo 19. Non maledices surdo.

Salomon in prouerbiis capitulo i. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Idem in ecclesiastice capitulo 10. In cognitione tua regi ne detrahas: et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia et aues celi portabunt vocem tuam.

Commented [CN21]: fol.35vb

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Nunquam vllum perpetrans facinus latere credas. Omnia existimes agere ceu neminem latitura: nam etsi mox celaberis postmodum reuelaberis.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo. Latere timidi est.

Oratius in odis libro 2. capitulo 58. Paulum sepulte distat inertie / Celata virtus. Idem in poetria. Ut pictura poesis erit: que si propius stes. / Te capiat magis: quedam si longius abstes. / Hec amat obscurum: volet hec sub luce videri. / Iudicis argutum que non formidat acumen. / Hec placuit semel: hec decies repetita placebit. Idem in epistolis 17. epistola. Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Tullius tusculanarum questionum libro 2. Omnia benefacta: in luce se collocare volunt.

Quintilianus epistolarum epistola 15. Quis enim zelauerit ignem. Lumine qui semper proditur ipse suo. Idem de arte amandi libro 2. Si latet ars prodest: affert deprehensa pudorem. Atque adimi merito tempus in omne fidem. Idem de remedio amoris libro 2. Que nimis apparent: retia vitat auis. Idem methamorphoses libro 4. Quoque magis tegitur tectus magis estuat ignis.

Quintilianus declamationum 12. declamatione. Male heret ibi innocentia vbi in potestate est secretum scelus.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Capitulo 10. Nihil opertum quod non reueletur: et occultum quod non sciatur. Idem dicit lucas in euangelio 12. capitulo.

Marcus in euangelio capitulo 4. Non est aliquid absconditum: quod non manifestetur.

Lucas in euangelio capitulo 8. Non est occultum quod non manifestetur: nec absconditum quod non cognoscatur: et in palam veniat.

Ioannes in euangelio capitulo 3. Omnis qui male agit: odit lucem: et non venit ad lucem: vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem venit ad lucem: vt manifestentur opera eius. 12. capitulo. Ambulate dum lucem habetis vt tenebre vos non comprehendant: et qui ambulat in tenebris: nescit quo vadat.

Seneca tragediarum in medio capitulo 3. Magna non latent mala. Idem epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 3. Sic viue cum hominibus tanquam deus videat: sic loquere cum deo: tanquam homines audiant. Libro 6. epistola 2. Bona conscientia turbam aduocat: mala in solitudine anxia atque sollicita est. Libro 9. epistola 3. Omnia vitia in aperto leuiora sunt. Libro 11. epistola i. Sic viuendum est tanquam in conspectu viuamus. Idem declamationum seu ciuilium causarum in prohe. Magis nocent insidie que latent. Idem de moribus: Peiora sunt tecta odia quam aperta.

Statius thebai. libro 10. Nunquam apta latent in turba dolo.

Martialis cocus libri vndique suscepto capitulo 2. Occulturus hostis seuior elne tibi. / Iudicium culpe: nos clima dicimus esse. / Tu semper latebras: semper amas tenebras.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Id opta quod optari coram omnibus potest.

Cato capitulo 3. Temporibus peccata latent: et tempore parent.

Commented [CN22]: fol.36ra

Boetius de consolatione libro i. capitulo 8. Si operam mendicantis expectas: oportet vt vulnus detegas. Idem de hypotheticis sillogismi in prohemio: Et si ipsa speculatio veritatis sua quadam specie spectanda est: fit tamen amabilior cum in commune deducitur: nullum bonum est quod non pulchrius elucescat si plurimorum notitia comprobetur.

Cassiodorus epistolarum libro 9. epistola 24. Quelibet malitia formidat contra manifesta bona aliquid profiteri: dum generalibus odiis veretur exponi. Libro 10. epistola 18. Lesionis instar est occulte consulere: et aliud velle monstrare. Libro 12. et finali epistola 17. Conscientia recta vias publicas tenet. Amicum est criminum velle nesciri.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 43. Sepe malum plaga parit inconfessa necemque.

Montenarius in luna cleri capitulo 128. et penultimo. Quicquid nocte tegunt tenebre: sol mane reuelat. Nil occultatur quod non aliquando sciatur.

Prouerbiū vulgare: Ne lamore ne tosse sepo celare.